

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Scriptura sacra d cum fonte primo

Hic phisica quoniam omnes omnium
naturarum cause in Deo creatore sunt.
Hic ethica quoniam uita bona et honesta
non aliunde formatur quam cum ea
que diligenda sunt, et quemadmodum
diligenda sunt, diliguntur;
hoc est Deus et proximus.
Hic logica quoniam ueritas lumenque
anime rationalis non nisi Deus est.
Hic eciam laudabilis rei publice salus.
Neque enim optime custoditur
ciuitas nisi fundamento et uinculo fidei
firmeque concordie cum bonum
commune diligitur quod
summum atque uerissimum Deus est.

Augustinus ibidem (II. epistola ad
Volusianum).

hic physica, quoniam omnes omnium
naturarum causae in deo creatore sunt;
hic ethica, quoniam uita bona et honesta
non aliunde formatur, quam cum ea,
quae diligenda sunt, quem ad modum
diligenda sunt, diliguntur,
hoc est deus et proximus;
hic logica, quoniam ueritas lumenque
animae rationalis non nisi deus est;
hic etiam laudabilis rei publicae salus,
neque enim conditur et custoditur optima
ciuitas nisi fundamento et uinculo fidei
firmaeque concordiae, cum bonum
commune diligitur, quod
summum ac uerissimum deus est,
atque in illo inuicem sincerissime se
homines diligunt, cum propter illum se
diligunt, cui, quo animo diligant,
occultare non possunt.

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 137,
5 (CSEL 44, A. Goldbacher ed., pp.121-
2, ll.16-18, 1-9).